

Peter Mascov Johann Löper

Disputatio Inauguralis De Verbis Generalibus

Gryphiswaldiae: Doischerus, 1681

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747429294>

Druck Freier  Zugang





Y. N. 2 (80.)

1. Mar
2. Mar
3. Mar
4. Mar
5. Mar
6. Mar
7. Mar
8. Mar
9. Mar
10. Mar
11. Mar
12. Mar
13. Mar
14. Mar
15. Mar
16. Mar
17. Mar
18. Mar
19. Mar
20. Mar
21. Mar
22. Mar
23. Mar
24. Mar
25. Mar
26. Mar
27. Mar
28. Mar
29. Mar
30. Mar
31. Mar
32. Mar

1. Mascoy de jure auspicii apud Romanos
2. Mascoy de primatibus metropolitanis et reliquis episcopis ecclesie germanicæ.
3. Marbach de jure deceptorum.
4. Struv de officibus.
5. Struv de brachio sæculari.
6. Struv de jure socerorum.
7. Habermann de ratificatione.
8. Frommann de jure variandi.
9. Pancog de poena adulterii ejusque indulgentia.
10. D'Autel de maturo publico.
11. Bardili unus testis nullus testis.
12. G. Engelbrecht de dotatione virginum nobilium in Pomerania.
13. Stypmann de iniuriis seu conminationibus.
14. Mascoy de verbis generalibus.
15. P. Müller de bene merito.
16. P. Müller de nova causa.
17. Werner de poenitentia.
18. Geuser de libero arbitrio secundum jus civile et canonicum tam constituendo quam constituto.
19. Werner de auctionibus.
20. Roth de resignatione domini judiciali.
21. P. Müller de evitacione majoris mali.
22. P. Müller de evitacione suspicionis.
23. Dynker de vi legis in præteritum.
24. Mehlbaum de delictis imprimis de furtis.
25. Bühler iniquitatis accusata jurisprudentia.
26. Bechmann de actorum publicorum auctoritate.
27. Schwendendorffer de ultimis suppliciis.
28. Philippi jura circa cadavera humana.
29. P. Müller de præoccupatione fati.
30. Bornius de eo quod justum est circa destinationem.
31. Mylius de contractu libellario.
32. Minck de exceptione inhabilitatis contra advocatum.

33. Röder de prohibita rerum ecclesiasticarum alienatione.
34. Matthias de denunciatione evangelica.
35. Strauß de obligatione patrie familias in cuius aedibus incendium ortum.
36. P. Müller de praescriptione Saxonica.
37. Strych de iure oblivionis.
38. Lyser de rebornia et vi bonorum raptorum.
39. Mylius de libris mercatorum.
40. Romanus de varia in iuramentum coeritione.
41. Lincx de rubro nigro et albo.
42. Hahn de actionibus personalibus.
43. Brandt de legitima malefactor et facinorosus investigandi et convincendi ratione.
44. Ursinus de rationibus praefectorum. Cuius b. i. i. i.

2. F. Fq. S.
DISPUTATIO INAUGURALIS
DE

VERBIS GE-
NERALIBUS,

QVAM
DEI OPT. MAX. AUXILIO
Annuente Amplissimo Jctorum Ordine,
SUB PRÆSIDIO
Viri Nobilissimi atque Consultissimi

DN. PETRI MASCOVII, J. U. D.

ac Professoris Ordinarii, Regii in Cit. Pome-
raniâ Consistorii Assessoris, ac Juri-
dicæ Facultatis p. t.

DECANI SPECTABILIS

PRO LICENTIA

Summos in Jure honores & privilegia
Doctoralia rite consequendi
in inçlytâ Greifswaldensium Academia

Auditorio Majori ad d. 15. April.


publico Eruditorum examini submittit

Johann Cöper/ Starg. Pom. Scab. Elect.

Pom. Assesf. & Dicast. Advoc.

GRYPHISWALDIÆ

Typis MATTHÆI DOISCHERI Acad. Reg. Typogr. 1681.





*P*rima in omni negotio verborum consideratio est, quia sine hac veram ejus, quod dictum scriptumve est, sententiam vix unquam assequimur. Adverterunt hoc Jcti nostri, eaq; de causa accurato semper studio in indolem ac naturam verborum inquirere, Enunciativa à Dispositivis, Directa ab Obliquis & Communibus, Generalia à Specialibus, &c. distinguere cœperunt. Multum profectò hoc discrimen & quid singula valeant didicisse interest, ne factâ eorum confusione injustum deinde in decidendis causis feratur judicium. Ego impresens, omnis reliquis, de verbis generalibus disquirere propositum habeo; breviter tamen, ut delibasse potius hoc argumentum, quàm exhaustisse videar. Tu, benigne Lector, si quaedam minus comptè & minus ingeniosè scripta hic deprehenderis, (deprehendes autem maxime,) eò facilius, uti confido, veniam dabis, quò penitiùs conditionem meam habueris perspectam. Inter assiduos enim, quibus undique premor, fori labores sehedula hæc nata sunt; neque continuis meditationibus, sed vel mille interruptis, ad eò, ut ne unum quidem, quantum recordor, integrum diem, sed unam saltem vel ateram horulam ijs impendere licuerit. Nunc verò cum à fori strepitu remotus exactius hæc elaborare constituissem, tam acerbo prob dolor! luctu confundor, ut omnis ferè & ingenij & memoria vis deficiat. Ignoscas itaque intensissimo dolori, quem pietas pariter atque sanguinis nexus imperat, & brevitatem hanc aequi boniq; facias. His præmissis sit in nomine JESU

CAPUT I.

De verbis generalibus in Legibus ac Statutis.

In interpretatione Legis quæ attendenda? Leges condere debent cum rectâ ratione. Verba generaliter posita generaliter sunt intelligenda: nisi ita vis fiat rectâ rationi. Liberis necessarios alimenta necessaria etiam de Jure Civ. debentur. Per Statutum generale non videtur adempta legitima. Explicatio Ordin. Judic. Pom. Interpretatio restrictiva. Cum falso procuratore gesta profunt ratihabenti Domino. Statutum, quod foeminas sine Curatore contrahere prohibet, quomodo accipiendum. Lex posterior indefinite loquens non corrigit Legem priorem. Ex testamento patris ob liberorum præteritionem invalido nec hodie legata debentur. Privilegia per Legem anteriorem specialiter concessa per posteriorem generalem non videntur adempta. Miles surdus & mutus testari potest, licet scribere nequeat. Privilegia plenissime interpretanda: non tamen extendenda ultra terminos.

1 Ad indagandam mentem Legislatoris duo quidem inspicenda sunt: Verba scilicet & Ratio; Ratio tamen, quam animam legis merito dixerim, præcipua vis est ac potestas. Ratio autem hîc intelligitur non Historica, (quamvis & hæc, si dari possit, multum conferat) sed Philosophica, seu principium istud morale, quo lex aliqua in specie nititur. Hujus fundamentum ulterius quærendum est in rectâ ratione universali, & congenitis principiis honesti. His enim convenire debet omnis lex civilis, aliâs iniquitatis & absurditatis damnabitur. Fluunt ex his præ-

2 cognitis, quæ instituto meo inserviant. Quamvis enim

enim aliàs verum fit, *generalem dispositionem comprehendere omnes species, & verba generaliter posita generaliter esse intelligenda, l. 79. pr. de Leg. 3. Brunnem. ad l. 4. C. de prescript. 30. vel 40. ann. n. 2.*; id tamen ex dictis limitatur, si generalis ille intellectus vim inferat naturali rationi. Nam regula est, quòd *verba generalia Legis vel Statuti* 3
(par enim hìc utriusque ratio) *interpretanda sint per punctum recte rationis. Gail. 2. Obs. 33. n. 5.* Hinc quando in 4
Scholis nostris quæritur, An incestuosis liberis alimenta debeantur ex Jure Civili? ab affirmantium partibus standum erit. Nov. enim 89. c. ult. quæ generaliter illos à parentibus ali prohibet, de alimentis civilibus & lautioribus accipienda venit; non de naturalibus & necessariis, sine quibus vita conservari nequit. Necare juberet Imperator, si hæc auferret, arg. l. 4. ff. de agnosc. & al. lib.; quod quia rationi naturali contrarium, & ipsi l. 6. pr. ff. de Decur., quam Justinianus suam fecit, adversum, minimè est præsumendum. Vid. Mæstert. de Jusit. LL. Rom. l. 2. Dubit. 7. B. Brunnem. ad autb. ex complexu. C. de incest. nupt. n. 6. Disfent. Ant. Matth. de Crim. tit. 19. cap. 3. n. 7. Pari ratione si Statutum generaliter personæ extraneæ, v. g. conjugii successione deferat, hoc ita interpretandum est, ut salva sit liberis parentibus & legitima. Carpz. P. 3. C. 12. D. 3. Quia enim hæc ex naturali ratione debetur per l. 36. §. 2. verb. debito naturali. C. de inoff. test. per statutum humanum nunquam certè videtur sublata; imò nec tolli potest. Harpr. ad §. 6. l. de inoff. test. n. 36. ad n. 50. & n. 50. ad n. 60. Dn. Struv. ad ff. Ex. 10. tb. 10. Quam sententiam etiam Camera Imperialis secuta est apud Myns. §. Obs. 43. Gail. 2. Obs. 122. Non tamen aliter hæc intelligo, quàm si Legitima loco alimentorum sit: Quod e-

nim supra alimenta est, tolli potest, non repugnante naturâ. *Grot. de J. B. & P. l. 2. c. 7. §. 3. ibiq; Dn. Ziegl. Conf. Zæf. ad ff. T. de inoff. test. n. 109. seqq.* Constat etiam hinc, quomodo explicandum sit Statutum, quo illa bona in executione capi jubentur, quorum amissio debitori minus damnosa est: Quale extat in *Ord. Pom. Jud. tit. In welchen Stücken und Gütern die execution der Urtheile &c.* Scilicet generalius quidem verba istius Statuti concepta sunt; ast non nisi ad eum casum pertinent, quo creditoris nihil interest res à debitore oblatas accipere. Si enim evidenter ipsius interfit, absurdum foret, cum detrimento illius favere debitori, & creditorem hōc, quod pro paratâ pecuniâ alias res accipere cogatur, semel jam gravatum, inutilibus obtrusis gravare ulterius. *Vid. B. Mæv. P. 6 D. 248.*

Cum autem non tantum naturalem æquitatem, sed & rationem particularem Legis vel Statuti intue-
dam dictum sit, sequitur, juxta hanc quoque verba generalia Legis vel Statuti semper interpretanda esse. *Vid. omninò Nicol. Everhard. in Topic. leg. loc. à ratione leg. strictâ n. 1. seqq.* Pertinet huc *Applicativa interpretatio*, in specie illa, quam Nostri *Restrictivam* vocant: Ex qua
8 decidi potest celebris illa inter Dd. controversia: An scilicet ea, quæ cum falso Procuratore gesta sunt, regulariter (nam perpetuum hoc non esse docet *Fab. ad Cod. l. 4. t. 20. d. 2. B. Brunnem. de proc. civ. c. 1. n. 80.*) Domino ratihabenti prosint? Quamvis enim cum falso Procuratore planè non constituisse judicium generaliter tradat *l. 24. C. de Procur.* Quia tamen ratio legis solo absentis favore nititur, ne scilicet ille ex facto falsi Procuratoris invitus & ignorans damnum incurrat, in odium ejus generalis illa dispositio non est detorquenda.

da. l. 6. C. de LL. l. 25. ff. eod. Nec defuisse nunc amplius consensus videbitur, quia retrahitur rati habitio, & ab initio gesta confirmat. l. ult. C. ad SCt. Maced. l. 16. §. 1. ff. de pign. Conf. l. 56. ff. de judic. quæ itidem generalis est. V. B. Brunnem. d. l. B. Mev. p. 6. d. 139. & qui de observantiâ Imperialis Camerae testatur Gail. 1. Obs. 47. n. 5. Dissent. Zæf. ad ff. t. de Procur. n. 17. Fachin. Controvers. l. 8. cap. 61. Wissenb. ad ff. Disp. 12. th. 13. Aliud exemplum succurrit ex Statuto, quod fœminas sine Curatore contrahere prohibet: Quale tum in Saxoniâ Electorali, v. Const. Augusti p. 2. c. 15. tum in Lubecanâ Republ. existat. v. Jus Lubec. l. 1. t. 10. a. 1. Verba etenim statuentium si inspicias, generalem prohibitionem contineri fatendum est: Sed ratione Statuti inspectâ, usus & Interpretum consensus varias illius limitationes invenit. Sic v. g. cum parentibus & liberis validè absque Curatore mulierem contrahere receptum est, quia ratio Statuti, ne propter iudicii imbecillitatem damnum incurrat mulier, hîc cessat, cum personæ tam conjunctæ fragili istius ingenio ad capiendam eam abufuræ non censeantur. Mev. ad Jus Lub. l. 1. t. 10. a. 1. n. 48. Idem de contractu in præsentia consanguineorum inito, & de contractu mulieri manifestè lucroso iudicium est. Mev. d. l. n. 50. & 53. Carpz. P. 2. C. 15. D. 17. 18.

Ulteriùs hîc observandum, verba generalia legis posterioris ita interpretanda esse, ut, quoad fieri potest, legum anteriorum evitetur correctio. Causa in promptu. Sunt enim Leges ex certâ & solidâ ratione latae, (quamvis nobis de ratione non semper conflictet, l. 20. ff. de LL.) adeòq̄ non temerè animum mutasse videtur Legislator, si ullum adsit conciliandi medium.

dium. Juvat hæc meminisse in explicandis Legibus Romanis, quas diverso tempore & conditas & promulgatas esse ex historiâ Juris constat. Hinc quando non convenit inter Interpretes, utrum hodie ex testamento patris ob præteritionem liberorum invalido legata debeantur? Negativæ adhærendum est. Quia enim legata ex hujusmodi testamento de Jure antiquo non deberi extra dubium est. *l. 17. ff. de inst. rupt.* Verbum autem *Præteritionis* in *Nov. 115. c. 3.* indefinitè & generaliter positum de præteritione non paternâ, sed maternâ, quæ vim exheredationis habet, *§. ult. l. de Exber. lib.* commodè explicari potest ac debet, ut in *pr. l. de inoff. test.* Jus vetus certè hoc passu non censetur correctum. *V. Cujac. ad l. 5. Resp. Papin. l. 17. ff. de injus. rupt. Fab. ad Cod. l. 6. t. 9. d. 1. Wissenh. in Syllog. Error. Irner. ad auth. Ex causâ. C. de ill. præ. Zoes. ad ff. t. de lib. & posthum. ber. inst. n. 25. 32. Dissent. Jul. Clar. l. 3. sent. §. Testamentum. Qu. 52. n. 2. Carpz. p. 3. c. 9. d. 3. & Dd. ferè communiter.*

12 Procedunt autem hæc tunc omnium maximè, si lex anterior singularem, posterior verò generalem dispositionem contineat. Lex enim generalis posterior limitanda est per specialem priorem, & juxta illam explicanda. *B. Brunnem. ad auth. Offeratur. C. de lit. cont. n. 15. Fachin. l. 5. Controvers. cap. 94. vers. Respondeo generalia illa &c.* Hoc est, quod Jctus dicit, novum non esse, ut leges posteriores ad priores trahantur. *l. 28. ff. de LL.* E.g. cum muto homini facultas testandi generaliter interdicta esset in *l. 6. §. 1. ff. qui testam. fac. post. nisi in casu impetrati Rescripti l. 7. eod.* tunc militi muto etiam citrà Rescriptum testari licebat, *l. 4. ff. de testam. milit. idq. indistinctè, si vel literis, si vel solo nutu voluntatem*

tatem exprimere pōset; quia militare testamentum solā voluntate perficitur, *l. 35. d. t.* & militi, quomodo velit & quomodo possit, testari fas est. *l. 40. pr. cod.* Postea in *l. Discretis 10. C. qui test. fac. poss.* Justinianus generaliter mutos cum hac restrictione, *si scribere possint*, ad testamenti factionem admisit: Quæritur ergò, an *d. l. 10.* quæ generaliter de mutis disponit, etiam ad mutos milites pertineat, ad eò ut nec illi aliter, quàm si scribere possint, hodie testamenti factionem habeant: Resp. Minimè. Ex jure singulari enim hi illimitatam testandi potestatem habent: ad eò q̄ lex generalis posterior eam ademisse non videtur. Solos paganos *d. l. 10.* respicit, quibus dare aliquid voluit; non milites, quibus nihil voluit adimere. *V. Dn. Stryk. de Jure sens. Disp. 4. cap. 3. n. 29. seqq. Dissent. Dauth ad t. qui testam. fac. poss. §. 192.*

Commodè his annectitur consideratio de privile- 14
giis, quæ legum particularium nomine apud nonnullos veniunt. In his posita *verba generalia* ex benignâ voluntate Principis quàm plenissimè sunt interpretanda, *l. pen. ff. de constit. Princ.* quatenus scilicet solum privilegii favorem respiciunt. Nam in damnum tertii non sunt extendenda, *l. 2. §. 16. ff. ne quid in loc. publ.* quia non censetur Princeps cuiquam jus suum velle detrahere, *§. ult. l. de his, qui sui vel al. iur.* & beneficia tribuere in injuriam alterius. *l. 4. C. de Emanc. Harp. ad §. 6. l. de J. N. & G. n. 6. Conf. Gail. 1. Obs. 70. n. 12. seq.* Non tamen quæ de latissimâ privilegiorum interpretatione dixi, ultra terminos extendenda sunt; v. g. si 15
privilegium personale sit, ultra personam privilegiati. Nam privilegium personale ne quidem ad heredem privilegiati transit, *l. 196. ff. de R. J. ibiq̄, Dd. add. Mev. p. 8.*

B

d. 52.



d. 52. multò minùs ad Cessionarium, ob regulam, quòd quæ in heredes non sunt transmissibilia, ea nec sint cessibilia, per l. 42. ff. de admin. tut. Si tamen per cessionarium ipse cedens privilegio utatur, secus est. V. Med. p. 4. d. 151. & p. 7. d. 51. Hinc est, quòd immunitate rerum Ecclesiasticarum gaudeant etiam ii, qui illas ab Ecclesiâ conduxerunt. Carpz. Jurispr. Eccles. l. 2. d. 310. Tantum de Legibus & Statutis; sequitur nunc.

CAPUT II.

De verbis generalibus in Conventionibus.

Vis conventionum consistit in consensu. Verba generalia non extenduntur ad non cogitata. De actu majoris prajudicij non videtur cogitatum. Exemplum de mandato: quod limitatur. Generalis renunciatio beneficiorum. Verba generalia referenda sunt ad tempus contractus. Promissio boni nominis quid inferat. Donatio omnium bonorum presentia tantum comprehendit. Quid de superveniencibus accessorijs? Generalis hypotheca bonorum continet etiam futura. Verba generalia explicanda sunt ex jure communi. Obligatio fidejussorum in solidum. Promissio evictionis à cedente. Verba dubia contra eum interpretanda, qui loqui potuit apertius. Quid sub Jurisdictione generaliter concessâ veniat?

Conventionis nomen generale est, & omnem contractum, omniaq; pacta tam nuda quàm non nuda includit. l. 1. §. 3. ff. de pact. Vis autem conventionum ex mutuo partium consensu est, sive expresso, sive tacito & præsumpto. Ad hunc ergò in pactorum & contractuum interpretatione unice respiciendum est.

arg.

arg. l. ult. C. quæres pign. oblig. aded ut, quò consensus
non pertingit, id nec in contractum venisse censeatur. Hinc est, quò verba conventionum, quamvis
generalia, nunquam extendantur ad ea, de quibus alter
contrahentium verisimiliter non cogitavit. l. 35. ff. de
pact. An autem cogitaverit nec ne, ex circumstantiis
dijudicandum venit: determinabiturq; primò ex qua
litate negotij subjecti. De eo enim, quod cum graviore
præjudicio conjunctum est, paciscens cogitasse regu-
lariter non præsumitur. Sic qui alteri curam nego-
ciorum suorum verbis generalibus mandavit, non vide-
tur actus majoris præjudicii mandasse, adedq; nec de-
disse potestatem alienandi, l. 63. ff. de procur. transigen-
di, l. 60. cod. l. 7. C. de Transact. de re litigiosâ compro-
mittendi, Fab. ad Cod. l. 4. t. 26. d. 4. juramentum judi-
ciale deferendi, arg. l. 31. in f. de jurej. Dn. Struv. Jurispr.
for. l. 3. t. 15. §. 3. tutorem ut suspectum accusandi, l. 39.
§. ult. ff. de procur. debitorem arrestandi. Mev. Tr. de Ar-
rest. c. 7. n. 23. seqq. Carpz. p. 1. C. 29. d. 14. &c. Secus ta-
men est, si mandatum generale non sit simplex, sed cum
liberâ; (quam distinctionem non tantum in Canoni-
co, per c. 4. de procur. in 6. sed in Civili etiam Jure fun-
datam statuo, per l. 17. §. ult. ff. de jurej. l. 58. ff. de procur.
l. 9. §. 4. ff. de A. R. D. Harp. ad pr. l. mand. n. 25. seqq. Dn.
Struv. Synt. Civ. Ex. 7. th. 25. Dissent. Habn. ad Wesf. t. de
procur. n. 1.) aut generalem clausulam præceserit ex-
pressa quorundam actuum speciale mandatum requi-
rentium enumeratio; tunc enim generali mandato et-
iam alii actus, qui non fuerunt enumerati, compre-
henduntur. c. 4. de procur. in 6. Causa est, quod ex
commemoratione illorum mandans de illis tanquam
paribus etiam cogitasse censeatur.

B 2

Con-

6 Congeminum huic est, quod *argum. l. 4. §. 4. ff. si quis caut.* tradunt Dd. scilicet *generalem* beneficiorum renunciationem non valere, nisi præceserit specialis. Sic licet fidejussor *in genere* renunciaverit beneficii juris, (aliud est, si renunciaverit beneficii fidejussorii, quam renunciationem subalternam vocant;) non tamen excussionis vel divisionis beneficio uti prohibebitur, nisi generali renunciationi specialem alterutrum commemorationem præmiserit. Ratio est, quia aliàs infinitus beneficiorum numerus facit, ut de singulis cogitare non censeatur renuncians. *V. Carpz. p. 2. C. 17. d. 1. 2. 3. Fab. ad Cod. l. 8. t. 28. d. 31. Mev. p. 8. d. 186. Zæf. ad ff. t. de fidejuss. n. 20. seqq.*

7 Porro num contrahens de re aliquâ cogitaverit necne, dijudicabitur ex *circumstantiâ temporis*. Quia enim contrahens non ad incerta & futura, sed ad certa potius & præsentia respexisse creditur, consequens est, ut *verba generalia* non nisi ad tempus contractûs referenda sint, per *l. 69. ff. de cont. empt.* Hinc si venditor nominis non tantum verum, sed & bonum nomen *generaliter* præstare promiserit, bonitas illa ex tempore contractûs æstimanda est. Sufficit enim eo tempore solvendo fuisse debitorem cessum, & casus futuri non ad cedentem, sed cesionario spectant. *l. 11. pr. ff. de Evict. Mev. p. 1. d. 93. & Tract. de levam. debit. c. 7. n. 47. seqq. Carpz. p. 2. C. 34. d. 26. n. 4. seqq.*

9 Aliud exemplum est in donatione omnium bonorum *generaliter* factâ. Hæc enim solum bona tempore donationis præsentia, non autem futura complectitur, *arg. l. 7. ff. de aur. & arg. leg. l. 68. §. ult. ff. de Leg. 3.* & hinc quoque subsistit; cum e contrario donatio omnium bonorum præsentium & futurorum (ex inveterato tamen potius pragmatice

gmaticorum errore, quàm ex ratione juris) pro invalidâ reputetur. *Carpz. p. 2. C. 12. d. 27. n. 9. seq. Dn. Struv. Synt. Civ. Exerc. 40. tb. 9.*

Nequaquam tamen tam crudè hæc capienda sunt, 10
ut omnis vel ad superveniendi modum, vel ad qualitatem contractûs respectus excludatur. Quid enim si aliquid rei in contractum deductæ per modum accessionis superveniat? Numne & hoc simul in contractum venisse videbitur? Utique sanè: Accessorium enim sequitur suum principale. *arg. l. 24. §. 2. ff. de Leg. 1. l. 10. ff. de Leg. 2.* Hinc si jurisdictio alicui in castro vel oppido concessa sit, novi incolæ, qui post concessionem sedes suas ibi constituerunt, etiam illius jurisdictioni subsunt. *V. Covarruv. pract. quest. c. 2. n. 1.*

Pari ratione qui omnia sua bona oppignorat, et- 11
iam de futuris sensisse intelligitur, *l. ult. C. quæ res pign. scilicet ut eò melius creditori cautum sit. V. Brunnem. ad d. l. ult. C. n. 4.*

Ulterius animus contrahentium dimetiendus est 12
ex dispositione juris communis. Huic enim cum se in dubio semper conformasse videantur, verba etiam contractus, quantumvis *generalia*, secundum illud explicanda sunt. Ex his principiis est, quod plures fi- 13
dejussores, licet se singuli in solidum obligaverint, *sämptlich und sonderlich &c.* nihilominus beneficio divisionis gaudeant, per *l. 3. C. de fidejuss.* Hæc clausula enim accipienda est juxta Jus commune, quod jam aliàs singulos in solidum obligat, sed salvâ exceptione divisionis, adeòq; continet saltem expressionem ejus, quod tacitè jam inerat. Nec obstat, quòd verba ita interpretanda sint, ne sint otiosa. *arg. l. 109. ff. de leg. 2.* Nam hæc regula in beneficiorum renunciatione,

B 3

quæ

quæ nunquam nisi ex perspicuis verbis inducitur, ob-
tinere non videtur. *V. Zæf. ad ff. t. de fidejuss. n. 29. seq.*
Mev. p. 6. d. 112. Brunnem. ad l. 3. C. de fidejuss. Dissent.
14 *Hering de fidejuss. cap. 17. n. 53.* Eadem ratione si cedens
evictionem nominis cessi, & indemnitate cessionario
promiserit, er wolte ihm die Schuld gewehren / ihn
Noth- und Schadelos halten &c. hæc verba, quamvis
generalia sint, juxta naturam actus & Juris communis
dispositionem ita interpretanda veniunt, ut non bo-
nitatem, ad quam extra casum specialis pacti de jure
non tenetur, *l. 4. ff. de her. vend. l. 96. §. 2. ff. de solut.* sed
veritatem saltem istius nominis promississe censeatur.
Mev. de levam. debit. cap. 7. n. 44. seq. Et secundum
hæc in supremo Appellationum Judicio Dresdensi d.
8. Augusti A. 1626. judicatum testatur *Berlich. p. 2. De-
cis. 291. add. Respons. Actorum Helmstad. apud Habn. ad Wes-
t. de Evict. n. 10. Dissent. Dd. alleg. à Berlich. d. l. n. 8. seqq.*
Sed hæc ita, nisi aliud inter contrahentes actum appa-
reat, *arg. l. 34. ff. de R. J. quod ex circumstantiis arbi-
trio judicis definiendum est. V. Mev. d. l. n. 46. & p. 9.
d. 197. Brunnem. de act. cess. cap. 5. n. 61.*

15 Ex his itaque & similibus interpretandus est con-
trahentium animus: iis autem non sufficientibus re-
currendum est ad regulam *l. 39. ff. de pact.* & contra-
cum verba generalia interpretanda sunt, qui loqui po-
tuit apertius & specialius; h. e. à quo initium capit-
negocium, & qui magis præmeditatè ad illud accedit,
ut in emptione contra venditorem, in locatione con-
tra locatorem, *d. l. 39. &c.* Sic si Princeps titulo on-
eroso alicui jurisdictionem (das Gericht) indefinitè &
verbis generalibus concesserit, criminalem etiam, seu
merum imperium hodie concessisse censeatur, *Carpz.*
Pr.

*Pr. Crim. Qu. 109. n. 89. seqq. Med. p. 4. d. 290. Menoch. de
presumpt. l. 3. pres. 97. quam opinionem communem di-
cit Covarruv. pract. quest. cap. 1. n. ult. Dissent. Dn. Struv.
Synt. feud. cap. 6. tit. 18. n. 4. Limit. hujus Reg. vid. a-
pud B. Brunnem. ad l. 39. ff. de pact. Restat nunc paucis*

CAPUT III.

De verbis generalibus in ultimis voluntatibus.

Studium Jctorum in interpretandis ultimis voluntatibus.
*Verba generalia non sunt extendenda ultra mentem dispo-
nentis. Exemplum in tutelâ testamentariâ. Limitatur re-
gula. Ultima voluntates sunt interpretandæ ex jure communi.
Vis clausule privatorie in testamentis. Exceptio. Generalis
consanguineorum institutio. Interpretatio etiam faciendâ ex
jure statutorio. Exemplum. Qualitas personarum respicien-
da. Exempla. Menochij & Mantica ensomium.*

Quantâ religione ultima morientium elogia Ro-
mani veteres observaverint, nemini non ex Le-
gibus eorum notum est. Evincit id imprimis mi-
ram illud & longè accuratissimum studium, quod Ju-
ris nostri Conditores in indagandâ defunctorum vo-
luntate collocarunt, ne qua illorum periret dispositio.
Naræ hinc tot subtiles legatorum explicationes,
quid v. g. sub legato fundi instructi, suppellectilis, a-
limentorum &c. comprehendere voluerit vel non
voluerit Testator; quæ ex lib. ff. 33. & 34. alibiq; pas-
sim discenda sunt. Mihi impræsens omissis his pau-
ca, eaq; generalia de verbis generalibus tradidisse
satis erit.

Obser-

2 Observandum itaque primò, *verba generalia* ul-
mæ dispositionis ex voluntate disponentis restrin-
genda esse, nec extendi posse ad ea, de quibus ille
3 non cogitavit. Exemplum est in *L. 16. §. 3. seq. ff. de*
Testam. tut. ubi Pater, qui filiis suis *generaliter* tutorem
dedit, illum non videtur dedisse his, quos mortuos
4 esse credidit. Elegans tamen exceptio occurrit, si
restrictio hæc totam dispositionem vitiatura esset,
tunc enim generalis dispositio ad illa quoque trahen-
da est, de quibus actum non sensit Testator, modò ve-
rissimile sit, illum de his etiam sensurum fuisse, nisi er-
rasset. Sic si Pater *generaliter* filios suos heredes in-
stituerit, instituisse etiam videtur illum, quem deces-
sisse falsò putabat, ne præteritio hujus nullum effici-
at testamentum *argum. L. 3. C. de inoff. test.* & sic Testator
pœnam patiatur præteritionis, cujus nulla apud i-
psam culpa est. *v. Mant. de conj. ult. vol. L. 4. Tit. 2. Disent.*
Gomez. Lib. 1. Res. c. 5. n. 24. v. & in expresso. Adeoq; hoc ca-
su subsistunt legata in tali testamento relicta *arg. L. 28.*
ff. de inoff. test. Extraneo autem herede instituto, nulla
est in gratiam liberorum dispositio, & successioni ab
intestato locus fit. *arg. d. L. 3. C. de inoff. test.*

5 Porro in ultimarū voluntatum interpretatione re-
spiciendum est ad jus cōmune, cui in dubio se confor-
masse Testator creditur. *v. Fr. Mant. de conj. ult. vol. Lib. 6.*
Tit. 6. per tot. Jul. Cler. Lib. 3. sent. §. Testamentum. Qu. 76. n. 11.
Hinc quando quæritur de interpretatione clausulæ
privatoræ, quam sæpius adjectam videmus ultimis
voluntatibus, (*wer unter den Erben das Testament an-
sechsen wird, / der soll seines Antheils verlustig seyn*) dicen-
dum est, hanc non pertinere ad eos, qui solennia sal-
tem, non judicium impugnant. Hoc enim juri com-
muni

muni convenit, quo is, qui iudicium testatoris accu-
sat, relicto indignus iudicatur, si succumbat, l. 8. §. 14.
ff. de his, quæ ut indigni. secus ac is, qui de solennibus sal-
tem disputat. l. 24. ff. de his, quæ ut indigni. Non ergo
punire voluisse præsumitur testator legibus impu-
nem. V. Carpz. p. 3. C. 7. d. 24.

At quid si expressè dixerit, eum, qui vel solennia 6
saltem impugnasset, privandum relictis? Standum e-
rit, meo iudicio, voluntati testatoris, quia hæc pro
lege est. Nov. 22. c. 2. princ. Dissent. Carpz. d. D. 24. Eâ 7
dem ratione si testator generaliter consanguineos suos
instituerit heredes, non nisi proximiores, remotioribus
exclusis; & si fratres instituerit, solos Germanos, u-
nilateralibus remotis, vocasse videtur. Jus commu-
ne enim, quod solos proximiores admittit, eum re-
spexisse præsumptio est. Carpz. p. 3. C. 9. d. 17. Jul. Clar.
d. Qu. 76. n. 13. Si tamen Juri civili per jus municipale 8
seu statutarium derogatum sit, ex hoc potius quàm
ex illo dispositio testatoris interpretanda est. Sic si 9
Statutum adsit, quod exstantibus masculis foeminae
non succedant, & testator generaliter liberos suos in-
stituerit heredes, de solis masculis accipienda est in-
stitutio, Clar. d. l. n. 12. Mantio. d. l. 6. tit. 7. n. 8. seqq.

Non autem tantum ex jure communi & statuta- 10
rio verba generalia testatoris explicanda sunt, sed ex
personarum etiam qualitate. Concurrente enim
personâ dilectâ cum minus dilectâ, generalis & inde-
finita dispositio ita restringenda est, ne hæc plus ca-
piat quàm illa. Mantio. d. l. 6. tit. 11. n. 13. Elegans e- 11
xemplum occurrit in l. 36. §. 1. ff. de condit. & demonstr.
Cui geminum est, quod Severus & Antoninus Impp.
teste Ulpiano in l. 74. ff. de leg. i. rescripserunt; Onus
C insti-

instituto adjectum repetitum videri in substituto, licet substitutio *generaliter* & sine mentione oneris facta sit. In quam sententiam quoque respondit Scævola JCtus in *l. 13. pr. ff. de alim. leg.* Testatorem enim magis dilexisse institutum quàm substitutum, ex ipso ordine institutionis colligere est. Perpetuam tamen hanc regulam non esse docet *d. l. 74. ff. de Leg. 1.* & limitationes ejus prolixius persequuntur *Mantica d. tit. 11. n. 15.*
12 & *Menoch. de præsumpt. l. 4. præsumpt. 108.* Hi duo summi nominis JCti pleraque huc spectantia vastis Commentariis copiosissimè exposuere, adeò ut Iliada post Homerum scribere videretur, qui hoc de ultimarum voluntatum interpretatione argumentum sub eodem revocaret. Meritò itaque manum abstineo, & Lectorem ad prælaudatos JCtos, eorumq; absolutissima scripta, quibus immortale sibi inter eruditos nomen compararunt, remitto.

Tibi verò, JEHOVA, æterne DEUS, devotissimas pro concessis hucusque corporis ingeniiq; viribus gratias ago. Mirabilis es, DOMINE, in operibus Tuis, & incomprehensibilis in viis Tuis. Adsis mihi imposterum quoque auxilio Tuo, DEUS fortis, DEUS misericors, & consolatione Tuâ recreatum ita dirige, ut in pietate & justitiâ.
Tibi Patriæq; serviam.

F I N I S.



D. FRIDERICI GERDESII,
Profesſoris Ordinarii, Facultatis Ju-
ridicæ in Academia Gryphiswaldenſi Se-
nioris, Regiique Conſiſtorii Eccleſiaſtici
Directoris

ad


Nobilem & Conſultiffimum Dn. Candidatum
Lugubris ſimul & gratulatoria Epiftola.


Vir Nobilis & Conſultiffime, J.U.Can-
didate digniffime.


DExterrimè nobis, poſtquam in privatis
publicisque diſcurſibus egregias ingenij tui
divitias jam explicuiſti, de generalium
verborum intellectu mentem tuam inter-
pretaris. Utinam æquè feliciter exprimere mihi
benignioreſ illum affectum liceret, quo elimata
tua ſtudia, illamque oris facundiam, & judicij tui
ſagacitatem proſequor. Dividere eundem cogor, &
quem letioribus verbis commonſtrare ſolum deſtina-
veram, ejus partem dolor, quo confuſum vultum tu-
um video, expoſcit. Non poſſum, quin ſimul ad tri-
ſtiſſimam jacturam, quæ tibi optimum Fratrem,
Virum eruditiffimum inter lætitiæ apparatus abſtu-
lit, tecum ingemiſcam, & lubricam, in quâ verſa-
mur, ſtationem, ad animum revocem. Lugeas licet,
nam juſta ſubeſt cauſa. Sic tamen luge, ne nimium
tristi-

*tristitia indulgendo id in fratre requisivisse, quod
mortalis hac conditio negat, videaris. Imò, sic lu-
ge, ne patriæ tuæ vulnus gemines, quæ cum damno
amissi fratris tui in mœrorem sit coniecta, à tua vir-
tute solatij plurimum expectat. Ita enim illam
censere non temerè credimus; nos verò sic sentire,
egregia illa, quibus enituisi, ingenij subactis smi
specimina jubent. Sed Tu quidem, quantum ipse
in te spei repositum habeat, longè quàm nos verbis
generalibus rectius factis singularibus opere, ipse
interpretaberis. Quod ut pro Justitiæ commodo
ac Patriæ emolumento facere tibi contingat diu &
feliciter, ex animo precor. Vale. Dabamè Ma-
sæo meo d. 13. April. Anno 1681.*











ratem exprimere pōset; qui
solâ voluntate perficitur, l. 35.
velit & quomodo possit, tes
Postea in l. Discretis 10. C. qui test
neraliter mutos cum hac restrict
testamenti factionem admisit.
10. quæ generaliter de mutis d
milites pertineat, ad eò ut nec
bere possint, hodie testame
Resp. Minimè. Ex jure fin
tam testandi potestatem haben
lis posterior eam ademisse no
ganos d. l. 10. respicit, quibus
non milites, quibus nihil volu
de Jure sens. Disp. 4. cap. 3. n. 29. f
qui testam. fac. poss. §. 192.

Commodè his annectitur
giis, quæ legum particularium
los veniunt. In his posita ver
voluntate Principis quàm ple
tanda, l. pen. ff. de constit. Princ. qu
privilegiati favorem respiciunt
tertiū non sunt extendenda, l.
publ. quia non censetur Princeps
velle detrahere, ff. ult. l. de his, qui
ficia tribuere in injuriam alteriu
ad §. 6. l. de J. N. & G. n. 6. Conf.
Non tamen quæ de latis simâ pr
tatione dixi, ultra terminos ext
privilegium personale sit, ultra
Nam privilegium personale ne
privilegiati transit, l. 196. ff. de R.

stamentum
quomodo
40. pr. eod.
inianus ge
re possint, ad
ergo, an d. l.
m ad mutos
quàm si scri
n habeant
hi illimita
lex genera
Solos pa
d voluit;
V. Dn. Stryk.
Dauth ad t.

de privile. 14
ad nonnul
x benignâ
interpre
et solum
damnum
quid in loc.
us suum
& bene
manc. Harp.
n. 12. seq.
interpre
nt; v. g. si
privilegiati.
heredem
d. Mex. p. 8.
d. 52.

